

ADAM VVERNHERVS THEMARENsis.



**A**DAM VVERNHERUS in Franconia natus atque in literarum rudimentis educatus fuit. Is postea literarum causa sese Heidelbergam contulit, atque in virum doctum evasit. Erat Philosophus, Orator, Poëta, Iure consultus, & Theologus eximius. præterea multis virtutibus & singulari facundia preditus. Itaque in eodem Gymnasio in professorum Collegium adoptatus, Cæsarei iuris clarissimus interpres factus est. Postea autem anno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo Palatinus elector Philippus eum filiorum suorum paedagogū asciuit, & multa liberalitate prosecutus fuit. scripsit is soluta & ligata oratione uarios tractatus, quibus ingenij sui monumenta illustrauit. Tandem uero annis & laboribus exhaustus Heidelbergæ discessit, atque in ecclesia sancti Spiritus sepultus quiescit. **Trithemius.**